

LVNÆ DIE 19 M. IVNII A. 2017

A.d. XIII Kal. Iulias a. MMXVII

198

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / [www.fundatiomelissa.org](http://www.fundatiomelissa.org)  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128



# NVM PLANTIS QVOQVE SIT INTELLEGENTIA

– *scripsit Gaius Licoppe* –

In textibus sacris nusquam agitur de licentia plantas dominandi homini data; res enim videtur evidens: patet plantas creatas esse ad usum hominis. Mirum est homines præhistoricos proprietates sive medicinales, sive venenosas multarum plantarum iam invenisse. Nuper demonstratum est Hominem Neanderthalensem corticem salicis albæ masticavisse, cum invenisset acidum acetylsalicylicum (i.e. aspirinum in sermone communis) dolorem tollere. Temporibus historicis homines perrexerunt utiles plantarum proprietates exquirere in sua quisque regione, usque ad ætatem nostram.

Recentius nonnulli docti conati sunt ordinem instaurare in innumerabilibus plantis; notissimus inter primos est Carolus Linnæus, naturalista Suetus, qui duodecimmo saeculo fundamenta iecit modernæ nomenclaturæ Latinæ, præsertim vegetalium sed etiam mineralium et animalium. Eius ingens opus, *Systema Plantarum*, primum editum est a. 1735; in decima editione a. 1758 facta eius sistema perfectum est dupli nomine singulis plantis dato. Anno 1753 in lucem edit alterum librum, *Species Plantarum*, quo 8.000 circiter plantæ describuntur et in classes, ordines, genera et species distribuuntur.

Sæculo undevicesimo, chemia florere incipiente, chemistæ valent ex utili sucu alicuius plantæ principium agens extrahere idque deinde usque ad ipsam moleculam purificare; conantur deinde atomicam structuram moleculæ detegere eamque modo artificioso conficere.

Sæculo vicesimo plantæ dissecantur atque earum intima structura inspicitur microscopiis magis magisque potentibus. Exeunte sæculo nova scientia genetica valde mutat ordinem vegetalium nomenclaturæ, quæ nitebatur aspectu generali et organis sexualibus. Nova nomenclatura nititur plantæ genomate, e quo oritur singularitas singulorum viventium: præstat ergo præcedenti nomenclaturæ et demonstrat res inexpectatas: plantas e.g. aspectu valde dissimiles pertinere ad eandem familiam.

Auscultemus Franciscum Hallé, botanicæ professorem in Universitate Montis Pessulanii (*Montpellier*), qui iam 40 annos plantas multimodis scrutatur. Etsi ut nos vivunt, earum modus vivendi omnino aliis est. Moveri eis non est necesse, cum energiam, qua vivunt, capiant immobiles e sole et CO<sub>2</sub>, gazo in atmosphæra abundant. Animalia contra moveri debent ad capiendum cibum e quo energiam vitalem necessario hauriunt. Ante nonnulla decennia, ait, nova via ad plantarum notitiam aperta est præsertim in laboratoriis Scotiæ, Israelis et Italiæ. Ibi iam non agitur de secundo et microscopio examinando, sed, multo simplicius, inspiciunt quomodo plantæ vivant; decursu proximorum

decenniorum scientifici inventa accumulaverunt, quibus plantarum visio renovatur. In his laboratoriis teneræ plantæ exponuntur condicionibus insolitis ut pateat quomodo se novis circumiectis aptare vel defendere valeant. Inventum est arbores tropicales pluviam provocare valere emissis gasis, quæ nubium vaporem in guttas coalescunt. Aliud exemplum, quod spectat ad phaselos:<sup>1</sup> hæc planta, cum eam aggreditur species sibi nociva aphidoidearum,<sup>2</sup> emittit odorem, quo signo ad auxilium ferendum advocat bestiolæ prædatorem!

Suntne plantæ intellegentes? Hoc dicere diu non sum ausus, inquit professor Hallé, cum definitionem intellegentiæ, quale in lexicis nostris legimus, considerarem; hæc autem definitio ab homine facta est pro homine; oportet definitionem latius extendere. Specta, exempli gratia, plantam, quæ vulgo vocatur «sensitiva», quia, cum versatur in periculo, folia contrahit. Si colitur sub tecto, crescit pluviam ignorans; si post certum tempus eam sub divo ponis, ad primam pluviam aggressiōnem timens folia contrahit, at postea non iam, cum nihil mali acciderit. Tunc si eam iterum sub tecto nonnullos annos servas et postea denuo foras transfers, ad primam pluviam folia non contrahit; servavit ergo memoriam præcedentis experientiæ!

Sententiam Stephani Mancuso, rectoris Laboratorii internationalis neurobiologiæ vegetalis Florentiæ siti, etiam auscultabimus. Meo quidem sensu, ait, intelligentia est una e vitæ proprietatibus; inter multas eius definitiones non est consensus; ego unam retineo, facultatem scilicet problematum solvendorum; itaque omnia viventia aliquam habent intelligentiam. Plantæ valent cibum quærere, se condicionibus climatis aptare, se defendere ac prolem habere. Plantarum cellulæ possunt signa electrica transferre et ergo operari ut neurona; valent quoque percipere, præsertim per radices, gravitatem, temperaturam, lucem, humiditatem, campos magneticos electricosque necnon chemicam soli compositionem.

Boquila trifoliata, planta reptans silvarum Chilensis, est mirum mimeticæ facultatis exemplum nuper detectum. Cum aliquam arborem ascendit, suorum foliorum formam mutat ad similitudinem arboris foliorum, non solum forma, sed etiam structura, colore et firmitate. Si arborem alterius speciei ascendit, dissimilem eius foliorum formam etiam optime imitatur.

Intelligentia est proprietas vitæ, de hac re meditandum est... ☺

1. Phaselus: Fr. *baricot*, Angl. *bean*.

2. Nomen zoologicum pro Fr. *puceron*, Angl. *greenfly*.

# LAVRENTII ROCCI (1864-1950) FABVLÆ DE BELLO OMNIVM GENTIVM PRIORE ALIISVE DE REBVS RECENTIORIBVS SCRIPTÆ

- *scripsit Theodericus Sacré -*

**Q**uosvis Italiæ cives percontare Latine Græceque non rudes, innotueritne eis Roccii nomen necne: ad unum omnes tibi nulla interposita mora respondebunt: «eum scilicet dicis, qui foras edidit Lexicon Græco-Italicum; id enim omnibus adhuc est in manibus et, Flaccum ut afferam, ‘pæne recens; adeo sanctum!’.<sup>1</sup> Hæc singuli universi; erunt etiam qui memoria teneant artem grammaticam sermonis Græci ab eodem viro emissam;<sup>2</sup> pauciores, qui te delegent ad tractatum quem ille de re metrica conscriperat;<sup>3</sup> nullus omnino, aut ego fallor, qui ad carminum libellos te reiciat ab eodem editos. At qui lexicographiam insigniter auxit, de re grammatica et de re metrica acute egit, is peritia haud minore Camenæ litabat; itaque iuvat me eius versus Latinos ab obliuione vindicare. Paucissima vero de vita viri præmonenda mihi esse videntur, ut extra Italiæ fines minus noti.

Maiores ergo vitæ partem aut Romæ aut in agro Romano transegit Laurentius Roccii. Natus enim anno 1864 mense Septembri in civitate Pharensi (quæ *Fara Sabina* vulgo appellatur), Anagniæ in oppido Hernicorum postquam studia humaniora peregit, ordini Ignatiano nomen dedit. Secutum est satis longum studiorum curriculum, quod Iesuitis solet iniungi: itaque philosophiæ insudavit apud studiorum universitatem Gregorianam in Urbe (1886-1889), deinde litteris operam dedit in gymnasio maximo Romano (1889-1890); laurea ibi honestatus, cum Andecavinos etiam adiisset (1890-1891) studio se dediturus penitiori, disciplinas theologicas amplexus eisque funditus imbutus est a doctoribus universitatis Gregorianæ (1894-1897); at eodem fere tempore (1891-1901) munera ei sunt data quædam in convictu sive collegio celeberrimo, quod erat Iesuitis in villa Montis Draconis (*Mondragone*), Tusculi sita, et ibi flos iuventutis Romanæ disciplinis tam humanioribus quam exactioribus instituebatur. Fuerat hoc unum ex haud paucis eis prædiis, in quæ viri aulici Romani inde a sæculo XVI ineunte secedebant ut æstus Urbis ingentes nimiosve effugerent; hanc autem villam, Montis dico Draconis, cardinalis quidam ex Altempiorum prosapia prognatus exstruxerat et in ea Gregorius Pontifex Maximus eius nominis tertius decimus calendarium reformandum atque reformatum pronuntiaverat; fuere aliæ complures in eadem regione ædes lautissimæ ac splendidissimæ, in quis novo nunc nitore splendet villa Falconeria, utpote quæ auctore Aloisio Miraglia, viro Latinissimo, sedes sit facta Academiæ Vivarii Novi ab eodem viro rectæ, et civitatula vere Latina iusto audiat iure. Sed ad rem ut revertar, inde ab anno 1903 usque ad 1920 in collegio illo Tusculano Græce et Latine docebat adulescentes

Rocciius; atque eo temporum tractu grammaticam Græcam foras emisit. Anno autem 1920 inter sodales ascitus est *Arcadiæ*, veterimæ atque illustrissimæ academiæ Romanæ. Deinde in ipsam Urbem redux cum animarum curæ sese dedebat, tum investigationi doctæ indulgebat (1921-1939), dum Lexicon illud Græco-Italicum parat, quod anno 1939 primum in lucem prodiit publicam, decies inde recusum est. Furente autem bello omnium gentium altero, in collegium Tusculanum denuo missus eidemque est præfectus (1939-1946). Villam vero ipsam auctam atque in collegium Iesuiticum conversam versibus ipse Latinis multis ante annis (1915) descripserat atque illustraverat;<sup>4</sup> originem siquidem eius et pulcherrimum, qui inde patebat, prospectum cecinerat; quod carmen longum satis ac venustum in eo genere est scriptum, quæ ‘laus villarum’ appellatur et inde a sæculo XVI frequentabatur;<sup>5</sup> Rocciius autem aut ultimus fuit eius generis poetici excultor aut ad ultimos proxime accedit. Alteri autem cum bello pánkosmio finis esset impositus, Roccio iam octogenario in otium secedere licuit; itaque inde ab anno 1946 in Urbis meditullio atque in Gregoriano Athenæo plerumque vivebat; Roma ipsa ultimum obiit diem postridie Idus Sextiles anni 1950.<sup>6</sup>

Præter poematum de villa Montis Draconis, quod dixi, carmina quædam patriæ haud infelicia perpolivit Roccus. In his eminent carmen epicum de Aloisio Rizzio conscriptum, centurione classiario animi pleno et callido: qui anno 1917, Marte furente, naves quasdam Austriacorum hostiles in portu Tergestino per dolum merserat; quod cum carmen veneribus Vergilianis minime caret, heic tamen illustrare supersedeo, alias de eo dicturus.<sup>7</sup> Neque est silentio prætermittendum alterum eiusdem generis carmen, etsi priori propterea est impar, quod compage, ut sic dicam, utili parumque coharenti laborare mihi videtur; quo carmine, ut erant tum tempora, poeta Italis suis Dalmatiā Istriamque vindicabat et laudes militum nautarumque Italcorum cecinit, eorum præprimis, qui bello omnium gentium nomen sibi fecerant.<sup>8</sup> Utrumque autem carmen dum legis, virum sibi constitisse vides: namque ad inventa recentissima libentissime advertit animum, eisque nomina imponere vere Latina identidem temptavit. Quare erret si quis poetam a lexicographo velit seiungere.

Fabulæ quoque Roccianæ si qua re, verborum certe delectu maxime præstant. Namque alter ille Phæder totus in eo erat ut res recentiores recentissimasque puro ac Latino sermone describeret, communes vero ac tralaticias elegantioribus includeret versiculis. Qua in re verba semper idonea hauriebat e copia quæ erat ei

maxima; ac quotienscumque verbis novis ei erat opus, consilio non imprudenti de Græcis plerumque fontibus detorquebat nomina Latina, Horatium secutus. Neque hæc fabularum indoles singularis lexicographos præterriisse videtur Latinos, qui postea floruerunt. Namque Antonius ille Bacci, *lexici eorum vocabulorum quæ difficilius Latine redduntur* compositor et, edito eo libro, lexicographus saeculi XX unus præclarissimus, in verbis quibusdam Latine vertendis Roccii fabulas aut in auxilium vocavit aut, cum qua verba ab illo proposita minus probarat censuræque subiecerat, memoravit.<sup>9</sup> Itaque, ut exempla paucissima ponam, in verbo Italico ‘automobile’ Baccius hæc: «(...) Autocinetum, i, n. (P. Lorenzo Roccii: *Nuove favole latine*, p. 1 *et al.*). - Hæc vox, item e græco fonte derivata (...) fere idem significat atque automatum. Attamen, automatum usurpatur a Suetonio (*Claud.* 34), autocinetum autem minime a latinitatis scriptoribus adhibetur».<sup>10</sup> Sit ita sane, at nos scimus ‘autocinetum’ usu interea comprobatum esse, ‘automatum’, ubi sit autoræda significanda, abiisse in desuetudinem. Baccii vero palato magis, etsi non plane, satisfecit pro navigio subaquaneo ‘hypobrochion’ vel ‘hypobrochios’, uti conspicitur in iunctura Tusca ‘battello sottomarino’: «(...) - *Ex græco fonte: Hypobrochion*, ii, n.; vel hypobrochios, ii, m. (P. Lorenzo Roccii: *Nuove favole latine*, p. 94) (...);<sup>11</sup> quamquam, hæc subiunxit Baccius sibi ea in re constans: «Quotiescumque tamen fieri potest, opportunum est rem per aptum verborum ambitum latine reddere».

Ut tenue et sincerum planeque Atticum dicendi genus est Roccii in fabulis texendis secutus, sic et versiculos senarios mira facilitate currentes effudit, ut ad Phædrum proxime accesserit. Quodsi Phædri argumenta cum Roccio comparaveris, videbis hunc, etiamsi animalia sæpe induxerit loquentia, tamen non minus sæpe res recentioris ævi et recentissimi facere disputantes, ut autocineta, aeroplana, hamaxostichos, telephona, telegraph(i)a. Itaque fabulas ad ævum accommodavit ipse suum et effectit ut sibi in verborum thesauris Latinis libere exspatiari et novis rebus vel nova impone re nomina liceret vel easdem per ambitus verborum ex antiquo vocabulorum penu depromptorum curatius depingere. Ipse autem fabellulis eis excogitandis atque scribendis se paucos per menses induluisse contendit, cum a graviore et severiore investigatione docta animum remittere deberet. Id modestiae causa in præfatione admiserit necne, dubitet quispiam; at ipsa poematis tantam sermonis Latini manifestant peritiam, ut currenti eum equidem calamo versiculos chartæ mandasse facilime credam.

Reliquum est ut fabulas aliquot exscribam, ut gustum habeant legentes, quo ad ceteros apologetos evolvendos incitentur eisque perfectis Aloisio Miraglia astipulentur, qui Roccium ‘fulgidum litterarum lumen’ nuncupavit.<sup>12</sup> Unum est fortasse præmonendum de genere fabularum: nam si qui sunt, qui ita censeant, id excoli desitum esse, cum mediante sæculo duodecimo Franciscus Iosephus T. Desbillons (1711-1789) fabulas Æsopias a se excogitatas evulgavisset, quæ tota Europa sunt lectitiae, a vero errant. Namque apologi, etsi carminibus epicis, elegiacis, lyricis fere postponebantur, tamen sæculis undevicesimo et vicesimo allegere poetas nonnullos, qui quid in eo genere assequi possent sunt experti. Fuerunt etiam qui post Roccium fabulas finixerunt. Inter hos laudandus mihi esse videtur Iohannes Mazza (1877-1943), qui fabularum libros duos conscripsit, quorum prior a iudicibus Certaminis illius Hoeufftiani anno 1930 magna est honestatus laude.<sup>13</sup>

Parvulum hocce florilegium incohemus ab apologeto qui est de Titanicæ navis interitu (naufragium quæ fecit anno 1912); qui mihi prorsus erat incognitus cum de carminibus calamitati ei dicatis commentatiunculam scriberem:<sup>14</sup>

#### *Iuppiter, Titan et Mons glacie concretus*<sup>15</sup>

Titan navis erat summæ magnitudinis  
Iisque rebus cunctis ornatissima,  
Quas fastus populi valde clari opulentia  
Potuerat congerere. Europæ de litore  
Petens Americam, quinque dierum circulo  
Se dixit per venturum, non ipsum Iovem  
Iter umquam posse præpedire fulmine.  
Iratus Iuppiter: «Hunc ego», ait, «spectaculum  
Meæ faciam vindictæ, nec tamen operam  
Impendam fulminis.» His dictis celerrimum  
Ministrum accersit de Cylvenes culmine,  
Cui talia mandat ex Olympi vertice:  
«Mons glacie concretus, hyperboreis ex locis,  
Natans descendat, et iam iam terras procul  
Titana prospicientem, mole ruens sua,  
Ceu cuspide belli, nigram feriat ad necem.»  
Iussa facit uterque: cumque ictu fractus gravi  
Ad ima vergit Titan, Mons ita reboat:  
«Iustitiam discant homines nec temnant deos.»

Sequantur aliquot apologi de bello panoctsmio priore scripti.

# AB OBLIVIONE VINDICENTVR

## Lampyris et vulpes<sup>16</sup>

Cum Martis ingens debaccharetur furor,  
Ne castra noctu luce paterent hostibus,  
Locis in apertis usum quemque luminis  
Duces vetabant. Non tabacum tortile<sup>17</sup>  
Palam licebat sulphurato<sup>18</sup> accendere,  
Quamvis forent defessi pugna milites;  
Ipsisque in urbibus a lampadis electricæ  
Usu plerumque temperabant incolæ.  
Talia lampyris cognovit, et ipsa voluit  
Suum occultare lumen, se abdens messibus.  
Vulpes per campos errans illam conspicit  
Miransque interrogat ecquid per nigrum aera  
Non volitet, ut soleret, ludens et micans.  
«Hostibus», ait illa, «nolo signum ullum dare.» -  
«Amica, ne superbe de te sentias:  
Nam tua profecto tanti non est flammula,  
Ut ullus inde patriæ nascatur timor.»

## Intrepida et hypobrochion<sup>19</sup>

Navis præclara belloque paratissima,  
Intrepidæ nomine, maximæ decor insulæ,  
Per hostium ingressa undas vidit protinus  
Naves, naviculas, lembos capientes fugam.  
Exsultat arroganter et audet dicere:  
«Abeunt quisquiliæ». Unus vero e lembunculis  
Erat hypobrochios. Nota in arte callidus  
Arripit insidias, rem profecto ignobilem,  
Indignam fronte aperta depugnantibus,  
Per bellum vero in præpotentes utilem.  
Undis submersus, exspectans aliquantulum,  
Siluro intrepidam mira arte petit: horridus  
Fragor remugit. Illa pulsa vulnere  
Labascit misero et paulatim demergitur.  
Caput tunc alter ergens ab æquore  
Audacter clamat: «De quisquiliis ultimus!»

## Luporum conventus ad vitam tutandam ab hominum armis<sup>20</sup>

In Apennini prærupto cacumine  
Conventum multi quondam tenuerunt lupi,  
De rebus magnis ut consultarent suis,  
Quæ nempe fugienda arma præsertim forent.  
Lupinus catulus «Per tormentum bellicum  
Summa», inquit, «nobis adstabunt pericula.»  
Cunctorum ad risum obmutescit iuvenculus:  
«Quis gentem nostram», dicunt, «armis talibus  
Volet sectari?» Tum alter inquit: «Plurimam  
Morti viam consernit pyrobolon». <sup>21</sup> Tamen  
Non eadem reliquis de re stat sententia,  
Cum glans pyroboli plectat tantum singulos,  
Mydrobolon<sup>22</sup> contra vel turmas disternet

Et omnium certe armorum sit pessimum.  
Paucos post menses bellum grassatur grave;  
Per Apennini valles sat multis equis  
Mydrobolo stratis diram explent lupi famem:  
Lupinæ menti sic armorum pessimum  
Non illud exstat quod pavorem ingesserat.  
Conveniunt tandem armis timendum ab omnibus.

Duos iam mihi lubet subiungere aplogos, qui sunt  
de rebus recentioribus. Quorum priorem si hoc tempo-  
re apud Belgas natum esse contenderes, nemo infitias  
iret (namque pretia quæ quibusdam administris publi-  
cis solvuntur quotcalendis, item quæstus eorundem ex  
variis ac diversis munusculis corras, in hac patria adeo  
vituperari solent, ut qui ea obeant munia publica,  
homines pecuniæ avidissimi fere audiant).

## Duo autocineta<sup>23</sup>

In urbe principe clari ditisque populi,  
Quem sol, terrarum vita, respicit potens,<sup>24</sup>  
Duo autocineta præstolabant simul  
Apud ædes amplas iam iam egressuros eros.  
Grandius ex ipsis, copioso ac splendido  
Belle nitens ornatu, non tenuem sui  
Fortunam ostendit domini: namque hic plurimos  
Obiens per annos publica munia civium,  
Crumenam minime sprevit, at pro viribus  
Satis centenis farsit nummum milibus,  
Mussante populo. Tum inferiori machinæ  
«Ecquid», ait, «cultum nostro non similem exhibes?»  
Reponit altera modeste sed libere:  
«Meus num dominus attigit rempublicam?»  
Et ætas nostra Curios videt atque Decios,  
Camillos et Aristides, fraudis sordidi  
Puros peculi, insignes abstinentia;  
Tamen nonnullos forsan moneat fabula!

## Calamus scriptorius et machina scriptoria<sup>25</sup>

Calamus scriptorius his lacessit vocibus  
Recens repertam machinam scriptoriam:  
«Vana laude tumes, o inventum ludicrum!  
Præclara per me sunt magnique ponderis  
Opera conscripta, quibus in ævum est gloria.  
Pili te faciunt omnes; nam nulla sine me  
Usquam valere poterit tibi subscriptio.  
Plerumque das legendum vile et futile:  
Quin immo malignis interdum præbes opem,  
Qui turpe volentes nomen celari suum,  
Per te nefanda ignoti in lucem deferunt.»  
Reponit machina: «Hoc tibi superbia  
Suadet proterva. Prostas vili nummulo;  
Male fundis atramentum; post unum diem

Inutilis proiceris. Me, ni plurimi  
Haberent omnes, non tanti prorsus emerent.»  
Valens consilio et res sapienter æstimans,  
Inventum vetus atque novum iusto pretio habet.

Finem ut faciam, afferre sinar unde pateat Roccium  
a solita fabularum materia haud semper abhorruisse.  
Hæc enim ille de cane et fele:

*Canis et feles*<sup>26</sup>

Cani cum fele pugna ardebat aspera.  
In angiporum iam pugnantes venerant,  
extremam ad partem, qua restabat exitus  
unus in apertum, corpore occlusus feri.<sup>27</sup>  
Sat male mulcata feles horret ultimum  
Momentum vitæ; sic redacta ad incitas,  
fugam in suprelo desperans discriminis,  
audax consilium aggressa, vivido impetus  
horrentis hostis supra dorsum subsilit;  
infigit ungues, lacerat celeriter cutem  
diu multumque, ut rabies suadet ac furor.  
Bacchatur ille, subsultat ferociter,  
Cursat lymphatus, at non pectinem unguium  
Equitemque sævum dorso excussisse est potis.  
Canis postremo humi se prostrans<sup>28</sup> vertitur  
Rictu potenti in felis guttur: ilico  
Aufugiens illa, vento par, celsam arborem  
Conscendit: allatrantem et madidum sanguine  
Ab alto ramo hac pungit contumelia:  
«Te viribus præstantem vici strenue!» ☺

1. *Vocabolario greco-italiano* (Tiferni, 1939).

2. *Grammatica greca* (...) (Romæ - Mediolani, 1908).

3. *Trattato di prosodia e nozioni di metrica latina* (Augustæ Taurinorum, 1900); cfr. etiam *La metrica di Orazio dichiarata ai giovani liceali* (Augustæ Taurinorum, 1903).

4. Cfr. Prof. Dott. Lorenzo Rocci, *Carmina varia* (Mediolani - Romæ - Neapol, 1926), pp. 73-94: ‘Mondragone. Cenni storici e due carmi latini; Le origini della Villa di Mondragone. Panorama di Mondragone. Seconda edizione’.

5. Cfr., ut exempla paucissima afferam, Maria Quinlan-McGrath, ‘Ægidius Gallus, *De viridario Augustini Chigii Vera libellus*. Introduction, Latin Text and English Translation’, in commentariis q.t. *Humanistica Lovaniensia*, 38 (1989), 1-99; Ead., ‘Blosius Palladius, *Suburbanum Augustini Chisii*. Introduction, Latin Text and English Translation, *ibid.*, 39 (1990), 93-156.

6. Cfr. Eleonora Mazzotti, *Lorenzo Rocci. Il Padre, il Maestro, l’Apostolo* (quod opusculum paginarum circiter 70 in rete omnium gentium legitur); Antoninus Zumbo, ‘Messina 1912: una testimonianza sul *Primum ac Prototypum Collegium* nel *Diaro* del grecista Lorenzo Rocci’, in commentariis q.t. *Il Maurolico*, 8 (2016), 129-142. Valde doleo quod consulere nequii commentationes quas divulgaverunt: Henricus Renna, ‘Padre Lorenzo Rocci gre-

cista, latinista e ‘scriptor’ della Compagnia di Gesù’, in commentariis q.t. *Societas. Rivista dei Gesuiti dell’Italia meridionale*, 50 (2002), 15-31, 120-136 et 233-242; F. Ghizzoni, ‘Padre Lorenzo Rocci S.J., cultore delle lingue classiche’, in commentariis q.t. *Archivio storico per le provincie parmensi*, 39 (1987), 280 sqq.

7. Rocci, *Carmina varia*, pp. 95-109: ‘IV. Idus Decembres A.D. MCMXVII.

Carmen. Luigi Rozzo tenente di vascello distruttore della ‘Wien’ nel porto di Trieste 10 dicembre 1917. Seconda edizione’.

8. Rocci, *Carmina varia*, pp. 111 sqq.: ‘Il Mare nostrum e le imprese dei prodì Italiani nell’Adriatico. Secondo carme latino. Seconda edizione’. Editio principis in lucem publicam emissâ erat anno 1918. In hoc quoque carmine attingitur Rizzius.

9. Omnia vero vocabula a Roccio usurpata non videtur excussisse. Frustra enim apud Baccium requiras ‘gladium Baionensem’, quem habet Roccii in fabula, c.t. ‘Laus bellica’ (Rocci, *Carmina varia*, p. 56). Placet mihi ea verborum iunctura, cum sit plane perspicua. Baccius vero pro eadem re proposuit vocabula nimiae, ut mihi quidem videtur, ambiguitatis, quæ sunt ‘mucro’, ‘cuspis’, ‘framea’ (*Lexicon*, p. 79, in verbo Italico ‘baionetta’).

10. Cfr. Antonius Bacci, *Lexicon eorum vocabulorum quæ difficilius Latine reduntur*. Editio tertia, *Varia Latinitatis scripta*, 1 (Romæ, 1955), p. 72.

11. Cfr. Bacci, *Lexicon*, p. 85.

12. Cfr. ‘Æmilius Springhetti, Latinitatis omnium temporum eximius cultor’, in commentariis, q.t. *Latinitas*, 56 (2008), 152-159 (p. 153).

13. Cfr. Iohannes Mazza, *Poesie latine e italiane* a cura di Armando Maglione e Biagio Scognamiglio (Neapol, 1988), pp. 57-91; Th. Sacrè, ‘Two Unknown Poems by Giovanni Mazza (1877-1943)’, in commentariis q.t. *Humanistica Lovaniensis*, 65 (2016), 427-437.

14. Cfr. ‘Titanicæ interitus sive de poetis quibusdam Latinis qui naufragium illud luctuosum cecinerunt’, in commentariis q.t. *Vox Latina*, 35 (1999), 187-200.

15. Rocci, *Carmina varia*, p. 69; Rocci, *Nuove favole latine*, pp. 96-97.

16. Rocci, *Carmina varia*, p. 47; Rocci, *Nuove favole latine*, pp. 63-64.

17. Id est, tabaci bacillum maius. ‘Tabacum tortile’ memoravit Baccius in *Lexico*, p. 593.

18. Id est, ligni fragmento sulphure illito. ‘Sulphuratum’ memorat Baccius in *Lexico*, p. 707.

19. Rocci, *Carmina varia*, p. 68; Rocci, *Nuove favole latine*, pp. 94-95.  
‘Intrepida’ est navis genus Anglicum (inde in v. 2 ‘maximæ decor insulæ’), Anglice ‘dreadnought’ appellatum; ‘hypobrochion’ (a Baccio memoratum) est navigium subaquaneum; usurpat poeta etiam nomen adiectivum quod est ‘hypobrochios’. ‘Lembunculus’ idem significat atque ‘lembusculus, lembulus, lenunculus’.

20. Rocci, *Varia carmina*, p. 66; Rocci, *Nuove favole latine*, pp. 90-91.

21. Hoc est, manuballista ignifera.

22. Hoc est, ballista ignivoma; vocem memorat Baccius in *Lexico*, p. 396.

23. Rocci, *Varia carmina*, p. 10; Rocci, *Nuove favole latine*, pp. 7-8.

24. Itaque agitur de urbe Roma; nam subauditum *carmen* illud Horatii *sæculare*.

25. Rocci, *Varia carmina*, p. 34; Rocci, *Nuove favole latine*, pp. 47-48. Bacci in *Lexico*, p. 196 (in verbo Italico ‘dattilografare’) memorat ‘machinam scriptoriæ’.

26. Rocci, *Varia carmina*, p. 12; Rocci, *Nuove favole latine*, pp. 11-12.

27. Hoc est, canis.

28. Verbum ‘prostrandi’, quod idem valet atque verbum ‘prosternendi’, inde a posteriore parte sæculi quarti invenitur.

## HARPYIARVM IMPERIVM

SIVE

## PVRGAMENTORVM CALLIDA COLLECTIO

— *scripsit Marcus Cristini* —

*Nemo autem invitus bene facit,  
etiamsi bonum est quod facit.  
(Augustini Confessiones, I, 12)*

Cum Ulixes post acerrimum petitorum certamen Curbis Mythopolitanæ moderator suffragiis maximæ partis heroum, heroidum monstrorumque ibi viventium factus esset, statim intellexit negotium suum arduum laboriosumque fore, quia vectigalia accipienda pauca, debita solvenda multa et beneficia tribuenda innumerabilia erant. Secundo quoque die ad eum amici antiqui novique adveniebant monituri, ut promissa servaret. Omnibus verba dabat pulcherrima, quæ tamen haud sufficiebant ad civicam munerum diram cupidinem leniendam. Æneas duodecim carminum onerosa volumina urbis impensis edere cupiebat, uxor Dido curabat, ut amicus turis diis deabusque cotidie incendi lucrosum commercium consequeretur, Romulus ut regimen agricolis ob siccitates laborantibus subsidiis pecuniariis auxilio veniret, Perseus ut sodales cæmentarii ædem Iovis restaurarent, Polyphemus ut portoria nova constituerentur omnibus pendenda, qui caseum externum emere vellent, ne quid tabernæ caseariæ Mythopolitanæ (id est taberna eius, cum solus esset, qui in urbe heroum caseum faceret) detrimenti ob turpes imitationes caperent. Inter omnes autem moles-tissimæ erant Harpyiæ.

Ææ olim operas pro Iove optimo maximo dederant – Celæno secretaria eius fuerat, Ællo Ocyptetesque topiarioræ – sed ante paucos menses ex Olympo expulsæ erant, qua de causa nemo certe sciebat, sed nonnulli narrabant Iovem, Harpyiis adiuvantibus, puellam ad thalamum duxisse, Iunonem eos deprehendisse et, miseras sorores sceleris consocias fuisse ratam, illas mensis stipendio haud soluto dimisisse. Tantæ animis cælestibus iræ! Paulo post societatem purgamentis colligidis cum Phineo condiderant et singulis diebus magna voce ingentibusque clamoribus poscebant, ut ipsæ universis in urbibus maioris momenti negotium sordida foedaque auferendi sumerent. Ulixes, cum postulationem decies audivisset, respondit: «Harpyiæ carissimæ, angustias vestras bene intellego, sed Mythopolitanæ civitas purgamentorum colligendorum rationem optimam iam habet. Sordium enim arcæ a civibus quandocumque velint impletæ bene mane a Phineo purgantur...» «At sordes permixtæ sunt, charta cum vitro, putamina cum rebus plasticis, ferrum cum lignis.» «Verum est, sed cives Mythopolitanæ semper sordes discernere recusaverunt, fortasse quia paululum desidiosi sunt, quam ob rem mihi impossibile est vobis adsentire.» «Minime, minime!» horribili stridore cla-

maverunt cunctæ. «Consilium nostrum civitati multum proderit, quod purgamentis discretis ferro, chartis vitrisque opifices utentur ad novas res fabricandas et, ut ea emant, Mythopoli pecuniam haud neglegendam solvent.»

Ulices, qui denarios nusquam reppererat quique nesciebat, quomodo urbis thesaurum iterum locupletaret nullis vectigalibus auctis, Harpyias attento animo audivit. «Re vera id fieri potestne?» «Profecto. Arcæ purgamentorum claudendæ sunt claustrō et scidula aperiendæ, quam quivis heros, herois monstrumque habebit. Itaque sordium vectigal non omnibus æquum iam erit, sed is plus pecuniæ solvet, qui plus purgamentorum attulerit.» Ulixes tacuit pecuniam meditabundus. «Hac ratione urbs nostra œcologica fiet. Insuper miser Phineus usque ad diem hodiernum sordes omnes solus colligere debuit. Si gravedine vel febri laborat, nemo purgamenta aufert. Nobis autem adiuvantibus Mythopolis semper munda nitidaque erit.» «Sit ita sane, cives autem nolunt...» «Cives ipsi nobis gratias agent, cum primum rationem nostram foetidorum colligendorum bene experti erunt. Desidia factis, non verbis inanibus vincitur. Ceterum proles futurorum heroum nomen tuum ad sidera tollet. Ulixes, olim victor Troiæ Procorumque, postremo victor erit hostis insidiosissimi, purgamentorum.»

Mense elapso urbis moderator nuntiavit mox Harpyias sordium novas arcas in viis plateisque posituras esse, ut initium haberet facinus Mythopolitanis ignotum, difficillimum sed gloriosum, purgamentorum callida collectio. Initio non multi intellexerunt, quid futurum esset, decursu autem dierum incepti fama, malum qua non velocius ullum, longe lateque pervulgata est. Cives primum mirati, dein indignati et postremo irati sunt. Turba heroum clamitantum ad palatium regiminis ivit, ut antiqua purgamentorum collectio servaretur, sed frustra. Ulixes enim concives hortatus est, ut prius modernissimam callidamque rationem accurate experientur et dein statuerent, utrum ea servanda an abolenda esset. «Intra dies quattuordecim Harpyiæ arcas sordium novas in locum antiquarum substituent et dein, cum moribus novis consueveritis, statim animadverteritis quam inanes sint sollicitudines vestræ.»

Heroes heroidesque, cum ex œco moderatoris egredierentur, intellexerunt Laertiadum opinionem mutatum non esse, qua de causa rem æquo (quoad fieri poterat) animo ferendam esse. Multi autem in animo

cogitationes abditas volvere incepertunt, ex quibus consilium vafrum necopinatumque ortum est.

Diebus insequentibus urbs quieta fuit, nimis quieta. Moderator enim clamores tumultusque exspectabat, cum bene sciret cives suos nec timidos nec ignavos esse et eum minime lateret novam purgamentorum colligendorum rationem multis displicuisse. Ante diem initii callidæ collectionis Harpyiis, quæ postero die arcas veteres ablaturæ erant, dixit: «Valde miror heroes heroides monstraque tam tranquille facinus nostrum egregium acceperisse. Rebellionem timebam, silentium tamen altum factum est.» «Ulixes, pluries id tibi diximus, cives primum murmurant, dein tacent et postremo plaudunt. Turba in consiliis capiendis semper mobilis est, rectorem cunctantem spernit, firmum autem promptumque ad agendum colit.»

His sapientibus verbis auditis moderator dormitum ivit, sed illa nocte male requievit, cum soni molesti somnia eius iterum atque iterum turbarent, quasi tacitus exercitus clam domibus viisque potitus esset. Versutus moderator se in utramque partem sæpe versavit, dum sopitus animo putabat se iterum Troiæ sub mœnibus altis esse et ligno inclusum occultari. Cum somno expergefactus est, primum latus animadvertisse in lecto una cum cara uxore esse, dein tamen lamenta remota audivit. Surrexit, ad fenestram venit, eam aperuit obstupuitque.

Prima enim lux urbem illuminabat purgamentis innumerabilibus, tam antiquis quam novis, onustam. Arcæ cunctæ sordibus redundabant et res obsoletæ, pulvulerentæ, fractæ, inutiles, ingratæ, immundæ, onerosæ marcescentesque Mythopolim occupaverant. Heroici cives reliquias inclutarum rerum gestarum permultas, quas sub tegulas ante sæcula relegaverant, repente abiecerant. Hercules ad arcas calathum, antiquum Omphalæ donum, attulit, Perseus signum capitis Gorgonis marmoreum, Æneas loriam ex ære rigentem obque vetustatem labefactam, matris Veneris munus, Romulus aratrum robiginosum, quod sulcum Romæ primigenium fecerat. Iason autem omnes virtute superavit. In lacu enim iuxta villam eius ab antiquissimis temporibus iacebat navis Argo, teredinibus iam poplata vexataque. Uxor Medea eum sæpe exhortata erat, ut eam abiceret, heros tamen cunctabatur, cum navis insignis iuventutis memoria esset. Ubi autem primum audivit quid Harpyiæ in animo haberent, statim consilium cepit navis diruendæ, timens ne pecunia ingens



*Harpyiæ belle depictæ a Iohanne Pasch, Sueto (1747; Wikipedia)*

solvenda esset, ut id insequentibus mensibus vel annis faceret. Itaque iuxta arcas viæ, ubi vivebat, mane illo erant trabes, mali, tigna, funes antemnæque.

Harpyiæ aures Ulixis clamoribus stridentibus querellisque molestis per diem integrum fatigaverunt, is tamen respondit purgamenta secundum legem quam primum auferenda esse, ut dein callida collectio, Harpyiarum mirum facinus, inciperet. Celæno Ællo Ocypetesque sordes cunctas post hebdomadam impigerimis laboribus amoverunt, ultionem crudelem in animo volentes. Arcis novis primum pauci usi sunt, cum purganda universa iam purgata essent, mense autem revoluto heroes, heroides monstraque plus minusque diligenter primas sordes in arcas constitutas deposuerunt. Ulixes et Harpyiæ gavisi sunt, alter quia pecuniam ex purgamentis mox accipere cupiebat, alteræ quia civium insolentiam castigare magnopere volebant.

Harpyiarum ultio initium habuit primo mane. Æneas usque ad medianum noctem versus opinione sua disertissimos, Didonis sententia lacrimabiles, scripserat et mens in somniis quoque de Ilio cogitare perrexit. Qua de causa cum ianuæ tintinnabulum sonuit, heros repente somno excussus clamavit: «Hostis habet muros, ruit alto a culmine Troia!» «Marite, domi sumus, non Troiæ» murmuravit Dido. Æneas ubi esset intellectus et, noctis umbris remotis, ad atrium celeri gradu ivit iratus. «Quis est tam amens, ut diluculo ostia pulset?» Ante ianuam aderant Harpyiæ, quæ magnis clangoribus matutinas auras quatere cœperunt. «Æneas, fraudis reus es! Leges de purgamentis neglexisti!» «Quid dicitis? Ego reus, ego fraudator? Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste...» «Noli pone verba vana crimen tuum celare, iam patefactum est! Ante diem in arcam putaminum nucem misisti! Id negare audesne?» «Nucem? Oblitus sum...» «Oblivio te non excusat. Nux, ut in libello civibus ante initium

callidæ collectionis dato legitur, pro ligno habetur, igitur in arcum lignorum deponenda est.» «Fortasse erravi, una autem nux...» «Legibus semper parendum est, tam in minimis quam in maximis, itaque denariis Mythopolitanis centum multatus es.» «Centum? Insanitis!» Celæno subridens illi chartulam dedit. «Multa solvenda est intra dies quinque.»

Ænea relichto Harpyiæ ad Iasonem iverunt. Ille patrum Peliam in horto alloquebatur, dum uxor Medea aliquid in olla magna coquebat cum Eadne de medicamentis faciei feminineæ disserens. «Disce, quæ faciem commendet cura, puella. Unguentum inveni, ex herbis arcanis factum, quod rugas celeriter fugat quoque vultus miro modo iuvenescit. Puto patrem quoque tuum Peliam illo annorum cohortes quasi virgula divina excussurum esse.» Harpyiæ interea ad sæptum appropinquaverant et horrida voce dixerunt: «Iason, perfide, scelera tua celare nequivisti!» «Celæno, quid dicas?» «Die Martis in arcum rerum plasticarum chartæ fragmentum misisti callidamque collectionem huius vici foodavisti! Nefas!» «Falsum est, chartas semper in earum arcum deposui.» «Mendax, in lagena enim quadam minima notulæ pars adhuc hærebat. Consulto laboribus nostris arduis obstitisti, itaque tui peccati poenas lues!» His dictis ei chartulam porrexit. «Multa centum denariorum Mythopolitanorum solvenda est intra dies quinque.»

Harpyiæ heroes heroidesque fere cunctos, ne de monstris loquar, visitaverunt nummarias sanctiones secum afferentes. Ubique clamores, ubique iræ, ubique fletus. Grex heroicorum civium, Capaneo duce, statim ad palatium moderatoris ivit, qui tamen aberat (sic saltem præco Ideæus eis dixit, lucerna autem in œco Ulixis fulgebat). Harpyiæ interea supplicia foetidissima omnibus minabantur, si pecuniam intra diem constitutum haud pependissent. Ideo heroes, querellis permultis invicem fatigati, denarios statutos solverunt, multa adversus Harpyias cogitantes.

Quæ se bonam pugnam de callida collectione vicisse arbitrabantur et cotidie autocinetum per vias plateasque Mythopolitanas exsultantes vehebant nec dubitabant, quin cives postremo intellexissent purgamentorum collectricibus verba dare neminem posse. Phineus animadverterat decursu temporis pondus sordium semper decrescere, collegæ autem eius, superbia tumidæ, monita neglexerunt. Post hebdomadam, cum ad viam pervenissent, ubi villa Æneæ erat, magno stupore viderunt purgamentorum saccos innumerabiles extra arcas et nullum intra. «Quid accidit?» horribili stridore clamaverunt. «Quis ausus est iram nostram lacessere?» Eo punto temporis Dido e domo exivit. «Dido, Dido, scelestæ, quid fecisti?» «Harpyiæ, qua re vociferamini?» «Age, purgamenta ubique relicta specta! Quis est tam demens, ut iussa nostra spreverit?» Mulier subrisit. «Nescio, nec vigil nec delator sum.» «Noli perfidia plusquam punica mentiri! Tu et maritus

tuus rei estis!» «Hoc demonstrate, si potestis. Purgamenta interrogate, ex eis quærите, quis media nocte saccos media via depositerit.» Harpyiæ tacuerunt ira succensæ.

Mox intellexerunt heroes heroidesque quovis vico æque ac Æneam Didonemque se gessisse. Arcæ nudæ atque inanes erant, viæ purgamentis onustæ. Celæno, Ællo Ocypetesque statim ad Ulixem perrexerunt. «Doleo, quod moderator noster clarissimus, cum operibus gravibus instantibusque sit occupatus, vobiscum loqui nequeat, sed cras...» «Cras nimis sero erit. Dum hic consultur viæ purgamentis expugnantur. Sorores, mecum venite!» Tres Harpyiæ ad œcum Ulixis celeri gradu iverunt, Idæo frustra reclamante. Fores aperuerunt ostiis haud pulsis et moderatorem invenerunt arcum suum celeberrimum detergentem. «Ulices, cives nos fraudaverunt!» statim Celæno clamavit. Dein, cum res raptim narravisset, novum consilium patefecit. «Ad extrema veniamus! Quæ cum ita sint, arculæ familiares sunt necessariæ.»

Moderator palluit. «Celæno, arculæ illæ satis onerosæ sunt, fortasse redeundum est...» «Minime, minime!» clamaverunt cunctæ. «Nos frangimur, non flectimur!» «Cives autem nolunt...» «Ulices, posteritatem cogita! Quid dicet futura proles, fortasse narrabit moderatoris primum facinus miserrime in irritum cedisse? Insuper arcis familiaribus adhibitis lucrum regiminis multo maius fiet.» Colloquium longum fuit, sed postremo heros adsensus est.

Post dies decem Harpyiæ arcas in viis plateisque positas, quæ vastæ, desertæ et purgamentis omnino destitutæ erant, abstulerunt et heroicis civibus arculas familiares dederunt, ut quisque, metallis divisis a rebus plasticis, lignis a putaminibus, vitris a chartis, in eas sordes collocaret. Insuper multas onerosas statuerunt omnibus purgamentorum saccos iterum media urbe relinquenteribus. «Sordes cunctæ in arculam legitimam deponendæ sunt, quas dein ante ostia locis constitutis in diem certam feretis.» «Quando?» ex eis quæsiverunt multi. «Metalla auferemus die Lunæ, res plasticas die Martis, ligna die Mercurii, putamina die Iovis, vitra die Veneris, chartas die Saturni, alias sordes die Solis.» «Quid accidet, si quis arcularum ante ostia deponendarum oblitus erit?» «Diem collectionis proximum venturum post hebdomadam exspectabit.» «Et si quis arculam erratam extra domum collocaverit?» «Eum multabimus.» «Et si quis peccaverit in purgamentis discernendis?» «Eum multabimus.» «Et si quis arculis magnitudine maioribus usus erit?» «Eum multabimus.» «Et si quis extra loca constituta arculas attulerit?» «Eum multabimus.» Cives semper idem interrogabant et Harpyiæ semper idem respondebant, igitur primum facetam Herculis questionem haud intellexerunt. Cum enim hic interrogaret: «Et si quis purgamentorum collectrices clava percusserit?», Celæno tædio affecta respondit: «Eum multabimus.» Dein

tamen, verbis accuratius perpensis, clamavit:  
 «Hercules, noli stulta effari! Tempus præliorum heroi-  
 corum fuit, nunc tempus est callidæ collectionis!»  
 «Verum, pro dolor! Hæc est hora vestra et potestas  
 Harpyiarum.»

Arculis traditis cives suspenso animo diem Lunæ exspectaverunt, sed vesperi nemo venit purgamenta ablaturus. Cum in libello, quem omnes acceperant quique callidæ collectionis arcana patefaciebat, dicerentur sordes occidente sole vel paulo post colligendæ esse, multi arbitrati sunt casum quendam necopinatum moram molitum esse, itaque dormitum iverunt rati facinus illud novum sordidumque postero die initium habiturum esse. Heroes tamen, heroides monstraque verba «paulo post» bene meditati non erant.

Nam, ut omnibus patet, Harpyiæ paululum ulciscendi cupidæ erant, itaque autocinetum earum media nocte ante villam Æneæ duxerunt, radiophono quam acutissime dicente «...nunc cantum recentissimum audiamus gregis bistrionum, cuius fama longe lateque...» Celæno arculam primam cepit et sorori magna voce dixit: «Ællo, autocinetum proprius vehe!» «... vos omnes profecto qui essent iam intellexeratis, sunt fratres Sambarvales!...» «Herclæ, quam grave est pondus arculæ Æneæ! Num arma abiecit?» Interea autocurrus retrorsum vehebatur, dum sonos acres emittebat et lucernæ eius fenestras villa illuminabant. «...enos Lases iuvate! Enos Lases iuvate!...» Celæno in autocurrum utensilia ferrea nonnulla proiecit, quorum fragore civitatis dimidia pars e somno expergefacta est. «...neve lue rue Marmor sins incurrere in pleoris!...» Æneas fenes-tram aperuit et furibundus clamavit: «Quid est? Qui sunt strepitus isti?» «...satur fu, fere Mars, limen sali, sta berber!...» «Ænea, querellæ tuæ molestæ sunt, nos laboramus ad urbem detergendam!» «...semunis alterni advocapit conctos!...» «Media nocte? Vos insanitis!» In libello scripsimus nos sordes occidente sole vel paulo post collecturas esse. Sol ante horas septem, tempus brevissimum, occidit.» «...enos Marmor iuvato! Enos Marmor iuvato!...» «Unde verba ista horrisona?» «Nescisne novum Fratrum Sambarvalium cantum? Fatis hoc nos poscentibus adferimus, ut ignorantiae tuæ subsidio simus. Vale, Ænea!» In autocinetum ascendit et ad aliam viam abivit, dum radiophonum clamitabat: «Triumpe triumpe triumpe triumpe!»

Postridie cives irati ab Ulike petiverunt, ut Harpyiarum insolentiam moderaretur. Ille, colloquio cum Celæno habito, promisit sorores arculas tempore vespertino collecturas esse. Die Martis nihil accidit improvisi, die tamen Mercurii Penelopa occidente sole iuxta viridarium Utopiam more solito currebat, ad lucem solis occidentis admirandam, ut ipsa amicis dicebat, vel ne nimis pinguis fieret, ut nonnulli mussitabant, cum Harpyiarum autocinetum et, brevi elapsa tempore, Herculem celerrime gradientem anhelantemque videret. «Hercule, gaudeo, quod tu quoque

vesperi curris. Mos est admodum saluber.» «Penelopa, non corro animi voluptatis causa, sed scelestam Celæno insequor.» «Cur?» «Hodie dies est lignorum collectionis et perperam clavam meam, ferarum domitricem illustrissimam, extra domum ad murum reliqui. Pro dolor dira Harpyia eam abstulit!» His dictis citius cucurrit. «Celæno, eia, Celæno, siste autocinetum, redde mihi clavam!»

Die Iovis Harpyiæ hora vesperis decima ante domum Iasonis pervenerunt, ut purgamenta colligerent. Cum primum Celæno ex autocurru exivit, aliquis poma rancida adversus eam iecit. «Ah! Quis ausus est me ferire?» interrogavit fremens. E domo obscura vox quædam respondit: «Celæno, nonne hodie dies est Iovis?» «Profecto, sed...» «Nonne die Iovis putamina auferuntur?» «Certe, at...» «Igitur sile et putamina aufer!» Repente fenestræ domorum proximarum apertæ sunt et manus ignotæ multa foetida contra Harpyias iactaverunt, quæ statim salutem fuga petiverunt ultionem terribilem spondentes.

Ulixes die Veneris cum eis et cum civibus denuo locutus est, ut civica concordia servaretur. Illo vespere et die Saturni collectio sine difficultatibus perfecta est, qua re cognita moderator lætus uxori dixit: «Postremo cives et Harpyiæ intellexerunt rixas contumeliasque minime urbi prodesse.» Penelopa subrisit responditque: «Hoc valde exopto. Nemo autem scit, quid vesper serus vehat.»

Die Solis Harpyiis colligendæ erant sordes indiscretæ. Tres sorores paulo post occasum ad domus civium iverunt et purgamenta abstulerunt. Iam peritæ erant, itaque cito progressæ sunt. Post horas duas ante villam Thesei Celæno arculam cepit, quæ in limine horti iuxta dumetum iacebat. Cum satis esset gravis, eam depositus et exsecrata est. Dein lenem quendam strepitum pone arborem sensit. Huc caput vertit et arculæ operculum in terram ferreo rumore cecidit. Statim – horribile dictu – aliquis glande plumbea miseram Harpyiam petiit. Illa ad sorores incolumis sed perterrita cucurrit clamans: «Eheu, me necant, me necant!»

Displosionem cuncta Mythopolis audivit et statim cives multi ad Harpyias appropinquaverunt, ut cognoscerent quid accidisset. Aderant Æneas et Dido, Hercules et Deianira, urbis moderator Ulixes et Penelopa, Theseus et Ariadna, dein Achilles, Ajax, Diomedes, Geryon, Polyphemus, Minotaurus, Centauri et Gorgones. Postremo vigiles quoque pervernerunt birotis vecti. Primus erat centurio Cœdipus, qui pedalia magno cum decore versabat, dein subcenturio Argus, qui uno tempore birotam ducebatur et prævestitæ sirenæ monitoriæ vectem manu movebat, ut machinula sonum emitteret. «Cœdipus, sirenam sistamne?» «Minime, sonare debet dum sceleris locum consecuti erimus.» Anhelans usque ad autocinetum perrexit, cum Ajax Diomedi diceret: «Sirenam huic similem

nuper vidi in pellicula cinematographica, quæ *Pugna Midwayana* nuncupatur.»

Œdipus birotam apud hortum Thesei reliquit et Ulixem allocutus est. «Moderator, quam primum hoc pervenimus, sed si autorædas, quas in certamine petitionis nobis promisisti, accepissemus, multo celeriores essemus. Dein manuballistulas quoque exspecto.» «Care centurio, ut bene scis, regimini pecunia est nulla.» «Ecum tamen tuum multis signis æneis ornandum curas.» «Insuper, care Œdipus, a me petivisti currum quoque loricatum, quem omnino inutilem arbitror.» «Et erras longe, care moderator. Nam exercitus Mythopolitanus deest et centuria vigilum ex duobus tantum constat, id est ex me Argoque. Qua de causa, ut urbem melius defendamus in temporibus tam obscuris tamque incertis, nobis opus est curru loricato vel saltem autoræda permunita.» «Addere – inquit Argus – sirenam modernam, quæ vi electrica et non brachii munere suo fungatur.»

Harpyiæ, quæ querellas audiverant miratæ, extem-  
plo clamaverunt: «Œdipus, desine ineptias curare!  
Criminis oblitus esne? Nuper aliquis nos necare conatus est!» «Recte dicitis, Ulices, de his postea loquemur.» Dein, ad sorores versus: «Sauciæ estisne?» «Minime, fortuna favente.» Vox media turba «Pro dolor!» murmuravit. «Vidistisne sicarium?» «Umbram vidi pone arborem illam...» «Ego quoque!» magna voce dixit Achilles. «Paulo post cenam in horto Thesei ambulabam, cum rumores inter dumos iuxta arculas audivi. Dein aliquis glandem plumbeam iecit et...» «Concives!» ait extempsu summa gravitate Œdipus. «His auditis non iam dubito, quin hodie primus impetus tromocraticus adversum Mythopolim factus sit.» «Impetus tromocraticus!» murmuraverunt cuncti perterriti. «Ulices, nuper ex me quæsivisti, cur arma autorædasque novas postularem. Crimen ipsum tibi respondit!»

Moderator cunctabatur. «Œdipus, quid acciderit nescio, sed tromocratæ in urbe nostra numquam fuerunt.» «Levis est malitia, care moderator, sæpe mutatur, non in melius, sed in aliud.» «Quid autem faciebant prope arculas callidæ collectionis?» «Hoc procul est dubio, eas furari voluerunt.» «Furari?» «Prefecto. Tromocratæ enim, ut scelera perficiant, multa pecunia indigent et eam quomodo lucrantur? Facile dictu, furtis latrociniisque!» «Arculæ tamen minime pretiosæ mihi videntur.» Harpyiæ iterum clamitaverunt. «Ulices, num nescis quanti arculæ veneant? De verbis inanibus tamen hactenus! Fortasse tromocrates, immo tromocratæ in horto latent, locum confestim inspicite!»

Argus palluit et oculos centum in dumetum fixit. «Bonæ Harpyiæ, ut illustrissimo moderatori dicebam, vigiles Mythopolitanæ armis novis carent, ego solum gladium habeo et Argus fustem. Quæcum ita sint, in dumetum ingredi periculosum est...» «Nolite timere, amici, ego manuballistulas duas mecum semper

habeo!» inquit Achilles, qui statim arma e cingulo traxit clamans: «Tromocratæ, vobis nulla superest salutis via, in ditionem venite!». Post silentium addidit: «Prefecto tromocratæ sunt Teucri, illi perfidissimi decursu sæculorum me plusquam semel occidere conati sunt, sed frustra! Me vivum numquam capient!» Vix ea fatus erat, cum glandes duas in dumetum iecit. Harpyiæ strepuerunt, heros tamen dixit: «Silet, stultæ! Hoc modo tromocratæ e dumeto exibunt. Utinam polybolum nunc mihi præsto esset!» «Achille, fortasse parum cautum est dumos glandibus plumbeis petere...» «Verum! Novum consilium mihi venit in mentem. Age, dumos incendamus!» Statim Theseus respondit iratus: «Dumos meos nemo incendat! Tromocratæ probabiliter iam effugerunt!»

Heroes heroïdes monstraque tumultuare cœperunt. Ulices tamen ad Achillem, Harpyias et vigiles appropinquavit dixitque: «Amici, casum hodiernum accurati intellegere velim. Achille, qua re vesperi ambulabas in horto Thesei?» «Mihi optimus Theseus hospitium præbet, cum in urbe Mythopolitana sum. Audiens rumores vocemque in limine horti, illuc appropinquavi et aliquis me glande plumbea petivit. Ego autem, metu minime affectus, ut heroem celebrimum decet, extempsu manuballistulam cepi et glandem adversum tromocratas ieci, dein...» «Satis est, intellego. Quando ad urbem nostram pervenisti?» «Heri.» «Callidam collectionem cognoscisne?» «Minime, quid est?» «De hoc postea te certiore faciam.» Ad Celæno se vertit. «Quam multas displosiones audivisti?» «Unam.» «Achilles autem primum impetum passus est, dein ipse glandem iecit.» Harpyia tacuit, dein lente respondit: «Paulo ante displosionem arculæ operculum in terram acri rumore cecidit, fortasse aliquis sonum pro displosione accepit.» «Ego quoque hoc suspicor.» Dein Achillem iterum interrogavit. «Amice, ubi tromocratam vidisti?» «Nescio, lux nulla erat, arbitror me aliquem in dumeto vel prope arculas prospexisse. Illum scelestum audiui exsecrante, dein me necare conatus est et postremo eum glande plumbea petivi.» Celæno continuo clamavit: «Eheu, ego exsecrata sum, quia Thesei arcula nimis gravis erat!» Pelides, rebus tandem intellectis, erubuit.

Paulo post Œdipus Argusque, repente audaces facti, dumetum funditus exploraverunt et civibus formidulosis rettulerunt tromocratam vel tromocratas effugisse. Dein accuratissimam inquisitionem promiserunt et universis suaserunt, ut domum redirent securi. Harpyiæ autem arbitratæ sunt insidias consulto factas esse, igitur novam ultionem paraverunt.

Post hebdomadam amplissimis epulis Iason diem natalem suum celebravit et cives Mythopolitanos cunctos præter Harpyias invitavit, ut dapibus optimis una læti fruerentur. Vesperi in horto domus eius heroicæ cohortes convenerunt et cena inter lepida verba, orationes plus minusque disertas et cachinnos ad extre-

mum vergebant, cum Medea, inexorabilis iuris callidæ collectionis momento temporis oblita, mali Cydonii partem in arculam purgamentorum indiscretorum depositus. Subito Harpyiæ e fruticibus, ubi latebant, prosiluerunt dicentes: «Nefas, nefas! Hic callida collectio corruptitur!» Ob adventum earum necopinatum vocesque strepentes hospites omnes, quorum animis impetus tromocraticus minime exciderat, exterriti surrexerunt salutemque fuga petiverunt. Mensa dapesque eversæ sunt et fuga heroici gregis ne horto quidem pepercit. Rosæ enim et alii flores, villæ decus, laboribus Medeæ impigerrimis alti, sine misericordia pedibus tam claris quam violentis obtriti sunt.

Indignatio ob Harpyiarum audaciam maxima fuit et ideo postero die heroes ante palatium moderatoris contra callidam collectionem tabellis et strepitu reclamaverunt. «Abeant Harpyiæ! Redeant arcæ!» «Libera purgamenta in libera re publica!» «Pereant callida collectio, vivat indiscreta!» Ulixes verbis versutis tumultum sedare conatus est, sed frustra. Postremo dixit se cum Harpyiis pactum subscriptisse, quod servandum erat aut multa ingentissima solvenda. Regimen, ut omnibus patebat, pecunia carere, igitur ipsum statuisse, ut callida collectio servaretur. Cives per diem totum tumultuaverunt, sed animadverterunt id vanum esse. Multi iam desperabant, cum Æneas fatus est: «Amici, nuper legebam *Æneidos* librum tertium et de verbis *antiquam exquirite matrem* meditabar. Extemplo mihi venit in mentem ratio, quæ nobis peropportuna esse potest.»

Post diem oriente sole montem Olympum umbræ permultæ ascenderunt. Lente ingrediebantur et omnes secum sarcinas graves ferebant. Postremo ante deorum immortalium mœnia constiterunt. Quid agebatur? Num Gigantes iterum Olympum oppetebant? Num homines cælicolarum imperium evertere cupiebant? Ad facinus autem tam terribile tamque impium perfidiendum utile fuisset portas statim Olympi occupare. Umbræ autem deorum dearumque immortalium ædium aditum neglexerunt et pro eo ad arcas perrexerunt, ubi divina purgamenta colligebantur.

Callida enim collectio ignota erat cælicolis, qui quæ sordes libere et secure more antiquo extra mœnia ponebant. Æneas id recordatus erat et concubibus suaserat, ut purgamenta ad immortalium arcas afferrent, quæ permultæ et sæpe vacuæ erant. Itaque mane illa civitas Mythopolitana cuncta Olympum petiverat sordium causa. Harpyiæ tamen dolum timebant et clam Mythopolitanos secutæ erant. Ideo cum primum hi saccos in arcas abiecerunt, extemplo horribilibus stridoribus dixerunt: «Nefas! Nefas! Callidam collectionem laboresque nostros impigerrimos fraudavitis! Multa ob crimen hoc nefandum vobis omnibus solvenda erit!» Heroes primum mussitaverunt, dein clamaverunt irati. «Quousque tandem, Harpyiæ, abutemini patientia nostra?» quæsivit Capaneus. «Pereant Harpyiæ! Abeant in malam rem» dixerunt alii.

«Concives!» fatus est postremo Æneas. «Populum Mythopolitanum servire fas non est, quem di immortales omnibus gentibus imperare voluerunt! Aliæ nationes servitatem pati possunt, populi Mythopolitanus propria est libertas!» «Euge!» Achilles manus ad cingulum porrexit aiens: «Harpyiarum imperium hodie perit.»

Dum hæc agebantur Minerva e porta cum sacculo purgamentorum exivit et heroes heroidesque clamantes in Harpyias vidit. «Quid accedit? Quæ est turba hæc? Quis cælestem quietem perturbat?» Æneas deæ breviter omnia narravit. Interea Iuppiter quoque optimus maximus Mercurio comitante pervenerat. Deorum pater, rebus cognitus, Harpyias, Ulixem et heroum heroidumque delectum gregem blande adlocutus est et, consiliis innumerabilibus volutis, uxore Junone auditæ, tandem Mythopolitanus populo gaudium nuntiavit magnum: «Callida collectio ad finem venit!»

Heroicam lætitiam Harpyiarumque livorem minutatim describere longum est, sufficiat dicere per dies tres ubique urbis epulas factas esse, quarum sordes, a Phineo tantum denuo collectas, in arcas veteres fortunati cives deposuerunt. Celæno, Ællo Ocyptetesque intra immortalia mœnia operam dare iterum sitæ sunt et mox munere coqui fungi querentes inceperunt. Æneas moderatorem hortatus est, ut triumphum secundum Romanam consuetudinem ageretur, Harpyias in vinculis pone eius currum incidentibus, sed Ulixes respondit consilium paululum contumeliosum adversus illas videri. Agnovit tamen ea, quæ heros mente finixerat, vero callida fuisse, qua de causa merito illi præmium tribuendum esse. Ei facultas dedit carminis de Harpyiarum clade pangendi publiceque recitandi coram civibus Mythopolitanis die Iovis festo proximo futuro.

Memoria callidæ collectionis paulatim evanuit et cives, iterum tranquilli et beati, otiosis negotiisque heroicis fruiti sunt. Purgamentis arculisque remotis viæ tersæ pulchraeque erant, ideo Penelopa usitato more libenter per viridarium vesperi currebat. Die quodam domum Æneæ præterivit et illum audivit versus carminis cuiusdam sollemnis recitantem: «Hic hic Centauros, hic Gorgonas Harpyiasque invenies: hominem pagina nulla sapit.»

# ADAM, QVIS ES? (I)

– *scripsit Gaius Licoppe* –

**V**erisimiliter iam ante historiæ initium Homo Sapiens secum interrogare cœpit quæ fuisse sui generis origo, sed de eius cogitationibus necessarie nullum habemus vestigium. Primi populi, qui scripserunt et sic initium historiæ fecerunt, Sumerii scilicet et Ægyptii, de hominis origine fabulas portentosas finxerunt, quæ videntur fontem fuisse fabularum recentiorum exultiorumque populorum.

Adami fabula apud æquales nostros est notissima; legitur in Genesi hoc: «Tunc formavit Dominus Deus hominem pulvrem de humo et inspiravit in nares eius spiraculum vitæ et factus est homo in animam viventem (...) Dixit quoque Dominus Deus: ‘Non est bonum esse hominem solum; faciam ei adiutorium simile sui’ (...) Adæ vero non inveniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam. Cumque obdormisset, tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea; et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem et adduxit eam ad Adam.» (Gen. 2, 7-22)

Exultioribus nostrum aliqua memoria etiam superest antiquorum Græcorum mythologiæ, qua non tam accurate sed modo æque portentoso describitur hominis creatio. Citabo nonnullos versus Ovidii, cum Latine scripserit quamquam e Græcis fontibus. Sic ut in Genesi, dei imprimis creant omnia quæ in mundo sunt necnon animalia; deinde apud Græcos Prometheus, unus ex Titanis, habetur creator hominis:

Sanctius his animal mentisque capacious altæ  
Deerat adhuc et quod dominari in cetera posset.  
Natus homo est; sive hunc divino semine fecit  
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,  
Sive recens tellus seductaque nuper ab alto  
Æthere cognati retinebat semina cœli;  
Quam satus Iapeto mixtam pluvialibus undis  
Finxit in effigiem moderantium cuncta deorum;  
Pronaque cum spectent animalia cetera terram,  
Os homini sublime dedit cœlumque tueri  
Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.  
Sic, modo quæ fuerat rudis et sine imagine, tellus  
Induit ignotas hominum conversa figuræ.  
(Met. I, 76-88)

Ætate aurea initio fruuntur homines, sicut Adam et Eva in Paradiso. Excitant vero Iovis iram, unde sequitur ætas argentea, ænea et ferrea. Sicut Adam et Eva ira Dei e Paradiso expulsi, homines magis magisque laboriose vivunt; Iuppiter, ira non placata, statuit eos extinguere diluvio. Idem accidit in narratione Genesis. Sicut Noe superstes cum familia in monte Ararat, Deucalion et

Pyrrha soli supersunt in monte Parnasso. Recedentibus tandem aquis, suam solitudinem comperiunt eamque timent. Intrant ergo primum templum, cui occurunt, et ibi oraculum Themidis recipiunt, quod, a Deucalione interpretatum, sequuntur; ambulant ergo post tergum iacentes lapides qui mirum in modum formam humana gradatim accipiunt.

Adami fabula in regionibus christianis usque ad recentia tempora etiam a doctis est accepta; quam ob rem perdifficile fuit alterius humani generis, Neanderthalensis scilicet, inventionem accipere. In Germania inter Dusseldorfum (*Düsseldorf*) et Wuppertalum (*Wuppertal*) est vallis, *Neanderthal* vocata, ubi mense Augusto anni 1856 lapicidinarii in aliquo antro a *Feldhofer* nominato partem calvarii ossaque singularia invenerunt, quæ tradiderunt Iohanno Carolo Fuhlrott, scholæ magistro in oppido Elberfeldia (*Elberfeld*), cum eius studium rerum naturalium bene notum esset. Ille intellexit inventa ossa esse extraordinaria ac pertinere ad hominem valde primitivum, cuius forma adhuc ignota erat. Quare petivit ab Hermanno Schaaffhausen, anatomiæ professore in studiorum universitate Bonnensi, ut ossa examinaret. Professor Schaaffhausen putavit ossa pertinere ad hominem qui ante Gallos et Germanos vixisset, probabiliter hominem ferum ex parte septentrionali Europæ oriundum, de cuius stirpe loquuntur antiqui auctores Latini. Notio enim alicuius generis humani a nostro distincti et olim viventis perdifficulter tunc temporis accipiebatur. Nonnulli tamen investigatores putaverunt ossa pertinuisse ad genus humanum a nostro distinctum, simio proximum; alii vero dixerunt ossa pertinere ad hominem natum pathologice deformem.

Bis, paulo ante inventionem ossium vallis Neanderthalensis, calvaria eiusdem generis inventa sunt, unum in Belgica ad puerum pertinens, alterum Calpe (*Gibraltar*), cuiusdam adulti, sed nemo de eorum singularitate quicquam dixerat. Inventis ossibus Neanderthalensis, inquisitiones fieri cœptæ sunt frequentiores et complura calvaria aliaque ossa generis Neanderthalensis inventa sunt. Post triginta demum annos orbis scientificus concessit Hominem Neanderthalensem pertinuisse ad genus hominis ab Homine Sapienti sive moderno distinctum; sic orta est nova scientia, quæ vocatur «palæoontologia humana» vel «palæoanthropologia».

Exeunte undevicesimo sæculo non sufficiebat humana ossa singulare invenire ut aliquid sciretur de eorum ætate; necesse erat in circumiectis testimonia antiqui temporis quoque invenire, ut ossa bestiarum hodie extinctarum vel instrumenta lapidea alicuius ætatis propria.

Duobus locis inventa sunt skeleta integra cum reliquiis ossium animalium et instrumentis lapideis. Primum in Belgica anno 1886 in spelunca prope oppidum *Spy* non longe a Montibus (*Mons*) situm inventa sunt ossa partim servata duorum hominum, sed unum tantum calvarium, cuius forma similis est eius hominis vallis Neanderthalensis: notanda est eius dolichocephalia, crassi arcui supra orbitas, prognathismus, mentum non prominens. Magna fuit huius inventi fama; additum enim priori invento demonstrabat hunc hominem ab hodierno distinctum esse necnon vixisse antiquissimis temporibus; nomen scientificum «Hominis Neanderthalensis» ei datum est.

Deinde post frequentes investigationes ubique habitas aliud inventum maximi momenti anno 1908 factum est in Francogalliae regione Curetia (*Corrèze*) in spelunca *de la Chapelle-aux-Saints* (e nomine vicini vici) vocata; ibi Homo Neanderthalensis sepultus erat, qua de causa eius ossa bene erant servata. Quae ossa Lutetiæ exhibita sunt in Academia Scientiarum; inventi relatio in actis diurnis divulgata opinionem communem valde commovit, quia Theoria Evolutionis etiam ad hominem tum videbatur spectare. Non pauci lectores stomachabantur quod nonnulli quoque sacerdotes hanc theoriam, qua docebatur hominem a simio ortum esse, admitterent; exeunte eodem anno in diario *La Lanterne* hæc thesis derisa est eique adiuncta est imago simii veste sacerdotis induiti.

Ossa speluncæ *de la Chapelle aux Saints* tradita sunt palæoanthropologo Marcellino Boule, qui scrupulosam inspectionem fecit, cuius exitum anno 1911 divulgavit. Describebat hominem curvatum, flexis genibus ambularem; pñne simii vultum ei tribuebat. Hæc descriptio est magni momenti, cum per unum fere sæculum accepta sit.

Exeunte tamen vicesimo sæculo hæc ossa iterum inspecta sunt, cum alii Homines Neanderthalenses interea in diversis civitatibus inventi essent, quorum aspectus idem non erat; sic compertum est Marcellinum Boule non vidisse ossa hominis *de la Chapelle aux Saints* pertinuisse ad senem quinquaginta circiter annorum, cuius artus arthritide deformati erant. Inde novus aspectus multo humanior tributus est Homini Neanderthalensi: eius dorsum non est curvum, neque genua flexa; statura skeletonorum inventorum est inter 1,48 et 1,77 metrum; calvarium longius et humilius habet quam Homo Sapiens (nomen scientificum genus hominis, ad quod nos pertinemus), sed eius capacitas est maior; crassos arculos supra orbitas habet ac validam mandibulam eminentia mente parentem; vultus iam non habetur simii similis.

Scimus hodie Hominem Neanderthalensem fuisse venatorem et piscatorem; sibi conficiebat ornamenta; mortuos sepeliebat; eius instrumenta lapidea satis rudia pertinebant ad hoc stratum palæolithicum, quod «Mousterium» vocatur (de spelunca *Moustier* in Francogallica regione Duranio (*Dordogne*) sita). Vivebat in Europa et Asia occidentali. Disparuit ante circiter 28.000 annos causa adhuc incerta.

Neque Homo Neanderthalensis, neque Homo Sapiens ex nihilo oriri potuerunt, quare vicesimo sæculo investigationes late factæ sunt ad «catenæ anulum deficientem», qui vocabatur, inveniendum; ei nomen anthropopitheci vel pithecanthropi dabatur. Notandum est nomen, quod est Homo Sapiens, a Linnæo iam duodecimmo sæculo creatum esse ut homines designaret in sua animalium nomenclatura.

Eugenius Dubois, medicus in colonia Nederlandica Indonesiæ, paulo ante finem undevicesimi sæculi descripsit ossa fossilia anno 1891 inventa loco *Trinil*, in insula Java. Hæc ossa tribuit alicui «catenæ anulo deficienti», quem vocavit Pithecanthropum Iavanensem. Bonam memoriam huius libri habeo, cum primus fuerit a me lectus de hominis origine et hoc quidem anno 1947, cum essem in ultimo anno studiorum humaniorum.

In Sinis quoque ab anno 1918 res miræ inventæ sunt. Non longe ab urbe Pekino in speluncis *Zhoukoudian* vocatis imprimis inventa sunt instrumenta lapidea et ab anno 1926 ossa hominum; gratum est recordari notum scriptorem philosophumque, Jesuitam Petrum Teilhard de Chardin, has effossiones participavisse.

Usque ad alterum bellum mundanum reliquæ 40 circiter hominum effossæ sunt, inter quas etiam calvaria; iam anno 1926 inventor Black putabat sibi argumenta satis valida esse ad novum genus creandum, quod vocavit Sinanthropum Pekinensem.

Calvariis inter bellum perditis, quinque nova effossa sunt et anno 1950 compertum est has reliquias potius pertinere ad genus Hominis Erecti (de quo pos-tea); anno 2009 recentissimis methodis monstratum est hunc hominem Sinensem vixisse ante 700.000 annos.

Anno 1925 anthropologus Raimundus Dart quoque putavit se «catenæ anulum deficientem» invenisse, cui nomen dedit Australopithecum Africanum. Agitur de calvario pueri *Taung* cognominati, quod in fodina non longe ab urbe *Kimberley* in Africa Australi inventum est. Etsi calvarii capacitas (410 cc.) minor est quam ea hodiernorum simiorum anthropoidorum, tamen inventor putabat id pertinere ad quoddam simii genus extinctum, inter simios et homines ponendum; habebat enim foramen occipitale deorsum spectans, quo significabatur puerum fuisse bipedem. ☩

(Continuabitur)

# RVINA, NON DEGRADATIONE IAM SCHOLA OMNIBVS IN ORDINIBVS OBSERVATA AFFICITVR

- *scripsit Johannes Teresi -*

**M**ihis deliberanti diutius quam iam feci quam difficile sit de scholæ fine rationabilem conclusionem proponere hæc consideratio venit. Schola non est hodie optima res quæ possit cogitari, signato «quantitatis regno», sicut censebat Renatus Guénon de temporibus præ se futuris. Sunt quidem puncta quæ hodie volo exhibere essentiam scholæ signantia et definientia.

Si commercium est id quod per sæcula relationem communicativam inter doctos et non solum indicabat, necnon id quod in fundamentis debet stare scholari-bus, minime exstat cum discipuli et magistri idem verbum relationale concipient sub forma unice œconomica: do – dicit magister discipulo – ut des, non secus quam vendor dat emptori. Nam non agitur de materia viva (*oὐσία*) sed de materia arte facta, arte abstracta et non in carnem incidente.

Commercium, igitur, est humanismus, i.e. infundere debet humanitatem. Hoc modo transimus ad secundum punctum. Si, apprehensionis notionibus, ex institutione exeo et facio aliter quam secundum eas notiones deberem vivere, ad quid profuit consumere horas in similibus institutionibus? Quia imprimis disciplinæ scientificæ infundunt spiritum criticum et disciplinæ philosophico-linguistico-litterariæ spiritum æmulativum. Si in institutionibus similibus spiritus prævalet mercatoris, persequitur non quod necessarium sed quod utile est (ita venimus ad tertium punctum).

E studiis humanisticis unum comperimus: hominem imprimis necesse esse fieri. Ad hunc finem sacerdos decimi septimi sæculi Vitam Epicuri scripsit, cui nomen fuit Gassendi. Si discipuli sunt clientes, inde emporii prævalente, non petunt ab institutione necessarium (hominem fieri) sed utile (convenientiam, commoditatem, facilitatem, tandem titulum unicum). Si discrepacio insurgit inter discipulos et magistros quoad dictamina, nullo modo potest magister favere disputatiōnē cum discipulis, e quorum adsensu pendet felix exitus institutionis. Ita evenit, ut magistri admoniti, ne augeant humiliationem suam modis agendi, etsi iustis rationalibusque, voluntatem æquent præsidis iussibus.

Fines universales – dicebat Johannes Meslier, sacerdos singularis qui vixit sæculo decimo septimo – sunt in fundamento educationis: honestas et optimi mores. Instructio et educatio sunt eadem res prout elementa prioris continentur in altera. Quid prodest scire vastas notiones si postea vita mea sine regulis moralibus ducitur?

Hodie in institutionibus similibus pueri, adulescentes facti, ætate mercatus formati, pulsionibus mediaticis instructi, appetitibus inferioribus pulsi, student rebus scholaribus ad unum finem se vertentes:

præmia. Ita applicatio eorum non spectat ad doctrinam sed ad præmium. Secundum rationem, studium præmium fert, non præmium obtinetur sine doctrina bene acquisita. Quantum vero studii acquisitum a discipulis similibus inquirere conamini: memoria, non conscientia, acquiritur! Et nunc aulam intremus: videmus discipulos vel tacitos vel freneticos, res quæ pendent e dulcedine vel firmitate magistri. At in se ipsis non cognoscunt disciplinam mentis et corporis. Habent, inter varias disciplinas, educationem physicam et religionem: faciunt exercitia motoria, apprehendunt partes corporis, sed nesciunt ad quid ducantur cum ea apprehendant; eodem modo religioni catholicæ student sed sensum huius disciplinæ plerumque ignorant.

Cum sonitus lectiones interruptus, discipuli surgunt, in deambulacris versantur, currunt, edunt, ambulant, vacui, innocentes, ridentes, sensus vitæ omnino ignari.

Potest evenire ut magister, iuvenis, vi creatrice præditus, bene formatus (rarissimus casus), vere problematicæ existentialis conscius, discipulis præbeat argumentationem veram, profundam, criticam, non de rebus abstractis, sed de rebus realibus, vel potius de argumentis theoricis in conexu cum argumentis realibus, dii immortales utinam id ne faciat! Discipuli non intellegunt, immo comprehendunt sensum contrarium, libenter miserrimum magistrum accusant quod loquatur de rebus non pertinentibus.

Si contra hic magister vult instituere aliquam comparationem inter vitam suam et vitam societariam, ut instituat criticam constructivam, discipuli approbant vim theoricam eius (magister bene scit construere propositiones logicas) sed eum iudicant superbū et adrogantem. Quo modo instituere communicationem cum discipulis licet?

Sola et unica communicatio habet locum: notiones frigidas et abstractas oportet transmittamus, sine alio scopo. Communicatione peracta et horis consumptis, alteri (magistri) huc, alteri (discipuli) illuc eunt. In conclavi magistrorum magistrum quendam (casus rarissimus, quia solent loqui inter se de rebus vacuis) tædet perdidisse vocabularium cum aptaret suum indoli pauperæ discipulorum; alter superbit quod tam bene novit scriptorem ethnologum Francogallum, cui nomen Marcus Augé, ut locutioni, qua scriptor utitur (non loco οὐ-τοπος), tribuendus sit unicus sensus...

Adrogantia, superbia, abstractio, artificium, vulgaritas sunt res communes non solum apud discipulos, qui, rerum gratia, leges suas imponunt institutioni (hodie transire de lycæo ad lycæum facillimum est). Ex eo deducimus institutiones reformatas esse: alias debere accipere discipulos qui apti sunt ad res theori-

cas sumendas, alias discipulos qui apti sunt ad res practicas, ubi re vera, non modo ficto, subsistat nexus cum societate economica et productiva.

Hodie e contrario discipuli coguntur in stabula ubi ut infundibula otiantur exspectantes exitum, finem cursus inutilis. Idem sors tribuitur lycæo dicto technico ubi discipulus censemur apprehendere res practicas: etiam ibi moratur magis in mediis theoricis quam practicis, et postea sors eius in societate non dissimilis est ac eius qui theoricas res coluit. Ei qui non habet intellectum theoreticum minima theoretica sufficiunt ad realitatem comprehendendam et formandam.

Ætate Media, quam historici et communes gentes spernunt, exstabant Trivium et Quadrivium, quorum accessus non omnibus dabatur; contra multitudini magis magisque instituebantur scholæ minores parœciis adiacentes, ubi virtutes et minima theoretica administrabantur.

At temporibus nostris plagæ vere infernales sunt scholæ mediæ, positæ inter scholam primariam et secundariam. His in plagiis pueri, quorum aptitudo non omnino plana est, ad oscularum mixturam absorbendam inscienter inducuntur; e plagiis horribilibus ad scholam superiorem veniunt, ignorantes qua re alterum vel alterum lycæum elegerint et, electione peracta, ostendentes minime rationem propriam electionis actæ, ubi, mercatus legis gratia, permanebunt inertes et ignavi, quod non evenisset si e schola electa exiissent rationis causa clarissimæ. Cyclis inferioribus peractis, ad studia universitaria pervenient ex omni sectione lyceali (etiam technica), ubi, si minima possident, non apti erunt ad ampliora studia theoretica amplectenda, fundamentis rhetoricae artis plerumque ab initio carentes.

Ætate Media, ii qui accedebant (dicti clerici vagantes) ad Universitatem iam utebantur patrimonio conceptuali ingenti: nam res audiendæ et disputandæ intellectum bene formatum poscebant. Præterea hi docti (etiam tum iuvenes) formaliter et substantialiter sermonem Latinum cognoscebant, adeo ut de universitate ad universitatem possent pervagari (hodie ii qui æstimatorum possidere quandam doctrinam, si non cognoscunt sermonem Anglicum, accedere ad diversas universitates nequeunt). Ita definitio clericorum vagantium non pessimæ est, i.e. non contempnenda, quia reddit claram naturam et dispositionem eorum qui errabant, sermone universali utentes, ad doctrinam perficiendam. Hic tamen modus non erat multitudinis proprius, sed per paucorum, qui ad inclinationem theoreticam tendebant.

Non minus periculosus quam horribilis est nunc accessus scholæ ad universum informaticum. Omnia ibi sunt iam sub iugo technico: si antea res didacticæ vel administrativæ tractatae erant methodo manuali et papyracea, hodie transferuntur illico in machinas automaticas notitias et informationes varias vorantes. Ita, si calamitas energetica ex improviso deleret memorias electronicas, nihil heu! superesset de vita scholastica. Ita per hoc medium infernale transeunt omnia: interrogations,

æstimationes, correctiones, informationes, curricula, deposita administrativa, methodi didacticæ, lycæorum archivum, et alia eiusdem generis. Antea parentes veniebant ad magistros audiendos, hodie sufficit eis uti computatro ut accedant facillime ad omnia quibus eis opus est ut cognoscant condiciones filiorum generales. Contactus physicus et humanus ita dilapsus est.

Philippus Sollers, in libro suo qui inscribitur *Conspirationes*, dicit in Francogallia exstare societatem quandam, cui nomen est G.S.L. (Gestio Superficierum Editarum). Hæc societas, quæ constat ex pluribus sectionibus, in-struit, con-cipit, fabricat notitias antecedentes, quas postea in-ducit, con-ducit, com-itatur ad varios fines (diurnarios). Hæc notitiae veniunt e rebus in consortio definito versantibus, et, cum præsumitur quid eventurum sit quia iam cognoscitur in nuce et in imis, in fine confluent ad «loca clamantia» (diurnarios). Quia una ex parte hodie scientia vera non est cumulatio critica doctrinæ vel eruditio consueta sed informatio vel scientia communicativa per media publica; altera ex parte, non persona, sed status socialis interest. Thomas Aquinas, Boethium sequens, dicit personam esse substantiam individuam: ab ea consideratione longinquum est propositum Lacanianum vix citatum et ab auctore relatum. Hic præbet exemplum: diurnarium parvulum, fere ignotum, qui utitur ut schemate projectivo imaginibus alio loco confectis, et dicit nomen diurnarii, *Tel Quel* (Talem Qualem).

Schola, ut institutio, nonne est exemplum transpositionis imaginum alio loco confectarum? Fuit profecto tempus, quo status magistri erat maxime liber et præstabat sine ulla schematis præ-factis. Hodie status eius præ-determinatur et modis præ-statutis adstringitur, et voluntas eius his æquanda rebus est, si dimitti non vult. Ita inter parentes superbos et pravos comprimitur magistri vita et præsidem ductum mercenarium agentem; cui rei potest ille opponere vitam reactivam, si doctus, cumulans eruditionem extra ambitum inanem, vel potius vitam passivam et tranquillam, si indoctus, in structura tali qualis non aliter posset esse (*Leibniz*) sibi placens.

Magister doctus re vera id dat quod potest, coactus inter res technicas, quas non dirigit, et res paedagogicas. Cum eum tædeat non posse eruditio elementa pandere, eruditio ut strenua applicatio alio loco (extra institutionem) quæritur maxima reactione. Quotidie mane magister doctus, antequam opus paedagogicum impendat, sedet ante computatrum et opera technica agit (nomen suum ponit una cum discipulis absentibus, argumentationibus, æstimationibus et aliis rebus). Potest molestia affici vel spem deponere cum conexione non obtinet et tempus, quod aliis rebus dicare potuisse, frustra consumit. Peritia technica deficiente, magister doctus sæpe obiurgatur, et, cum necessitatem in virtutem vertere velit, ad discipulorum auxilium recurrere debet, qui contra sunt harum rerum peritissimi. ☩

## REGREDI ET SVPERESSE: RATIO VITÆ SOCIALIS FVTVRÆ

- *scripsit Victorius Sebastiani* -

**C**orpus humanum post ætatem maturam gradatim regreditur ad finem vitæ. Regressio est pars naturæ, quam intellegere possumus si Lucretium legimus, et Cicero quoque consentit: «Senes mori sic videntur ut sua sponte nulla adhibita vi consumptus ignis exstinguitur» (C.M. 19, 71). Præterea, scientia naturalis hodierna sic dicit: viventia (homines, animalia, pisces, insecta et plantæ) nascuntur et crescunt et procreant et moriuntur. Ergo post maturitatem viventia regrediuntur et nos semper inspicimus partem vitalem viventium in perpetuum perditam crescenti mensura, sicut e.g. aliqui periti de agricultura dicunt, ubi sunt qui veneno contra vermes utuntur et plantas veneno inquinatas cum fructibus periculosis efficiunt, et de piscatu quoque, ubi sunt qui pyrobulis contra pisces utuntur, ergo nunc maria profunda hodie iam non sunt tam piscosa quam olim erant. Certe infelicer naves privatæ adsunt quoque quæ, rete ingenti sacco simile chiliometra longo, scelestè contra piscium tempus procreandi agunt, id est contra legem quæ procreationem defendit et intercedit pro natura eorum. Horribile est retia apta esse ad capturam piscium parvolorum quoque, qui permultum in tabernis et devensoriis venduntur ad gulas delectandas. Hoc modo damnum, quod œconomicum valde est contra speciem, ethicum quoque manet contra dignitatem humanam. Factum malum quidem est! Si Lucretius hodie redire posset post duo milia annorum, quid diceret de naturæ cultu nostro?

Directe et oblique, cogitatio de regressione cum consumptione ad finem mundi adducet, sicut in forma mathematica, lineam geometricam vidimus a Francogallo famoso olim elaboratam, cui nomen erat Renatus

Descartes, vitæ lineam quæ ab initio ascendit sed postea mutatur et descendit usque ad ‘o’. Pars vitalis, perdita in perpetuum, cottidie crescit circum nos sicut damnum emergens contra vitam futuram. Martialis poeta philosophus dicebat: «Non est vivere, sed valere vita est» (VI 70, 15). Sed de futuris, de quibus scimus ‘an’ sed nescimus ‘quando’, vita mundi erit in primis superesse et postea finem habere. Cyclus temporis sic operatur: nasci - matuiscere - consumere - regredi - superesse - exstingui.

Ergo superesse, necessario non brevis temporis phænomenon, præcurreret extinctionem. Hoc iam circum nos adest si inspicimus populorum condiciones demographicas et civiles et quomodo opes necessariæ ad vitam humanam distributæ sint in nonnullis partibus mundi. Nunc, superesse mirum in modum multo melius fieri potest si cultus nationum mutetur et vita fiat ius verum. Utcumque, ius illud rebus necessariis eget:

- certo iure scripto in Constitutione Europæa et in Constitutione Nationum Unitarum. Hoc ab expertis vocatur «Mundi Constitutio integra»;
- certa vi ad leges consequendas, ut ius vivat in Administratione Europæa et in Cura Nationum Unitarum. Hoc quoque ab expertis vocatur «Mundi Cura Integra».

Propositorum quidem est: recte superesse et sacrificia ‘honeste’ facere ut Pax Europæa, participatione sociali, apta sit ad regressionem futuram resolvendam et ad mundum adiuvandum.

In futuris signa dignitatis nostræ necessaria erunt. Sin aliter, lucrum sine cura et res nummariæ haud claræ præstabunt (Gaius Licoppe). ☩

---

D. BLANCHARD, F. CERRUTI-TOROSSIAN, M. KOPF, S. MORASSUT, C. RICO, N. SCHONEBAUM, *Forum. Lectiones Latinitatis Vivæ. Speaking Latin as a living language*, Polis Institute Press, 2017.

E duorum saltem auctorum nomine iam statim præscire potuimus hanc novam docendi rationem vivis niti methodis: Daniel enim Blanchard, *Melissæ* lectoribus bene notus, moderator Circuli Latini Lutetiensis necnon Academiæ Latinitati Fovendæ sodalis, et Christophorus Rico, professor in Hierosolymitano Instituto ‘Polis’ necnon auctor libri c.t. *Πόλις. Polis. Parler le grec ancien comme une langue vivante*, linguas antiquas tractare solent ut vivas linguis.

Hoc primo volumine discipuli ab initio toti immurguntur, ut nunc aiunt, in ipsum sermonem Latinum, cuius grammaticam apitis fabulis et dialogis gradatim et pedetemptim discunt. Peropportune etiam eadem lectiones proponuntur audibiles in sede interretiali Instituti Polis (et quidem gratis).

Utinam huiusmodi laudabilibus inceptis tandem aliquando fiat ut publica institutio vividiores adhibeat docendi rationes!

ISBN 978-965-7698-07-5



# *In hoc fasciculo !*

*Num plantis quoque sit intellegentia [G. Licoppe] p. 1  
Laurentii Roccii (1864-1950) fabulæ [Th. Sacré] p. 2  
Harpyiarum imperium sive Purgamentorum callida collectio [M. Cristini] p. 6  
Adam, quis es? (i) [G. Licoppe] p. 12  
Ruina, non degradatione iam schola afficitur [J. Teresi] p. 14  
Regredi et superesse: ratio vitæ socialis futuræ [V. Sebastiani] p. 16  
Bibliotheca Latina p. 16*

*Imago tegumenti: Iohannes Baptista Coriolan, 'Harpyia',  
in opere Ulixis Aldrovandi c.t. Monstrorum historia (1642; Wikipedia)*

---

## *Latine loqui :*

Conventiculum Bostoniense - 1-8 m. Augusti a. 2017  
[https://www.umb.edu/academics/caps/summer\\_programs/institutes/latinbysea](https://www.umb.edu/academics/caps/summer_programs/institutes/latinbysea)

Conventiculum Dickinsoniense - In Pensilvania, 5-11 m. Iulii a. 2017  
[http://www.dickinson.edu/info/20033/classical\\_studies/61/teacher\\_workshops](http://www.dickinson.edu/info/20033/classical_studies/61/teacher_workshops)

Conventiculum Latinum - Lexintoniæ, 20-26 m. Iulii a. 2017  
Conventus XIV Academiæ Latinitati Fovendæ - Lexintoniæ, 27-31 m. Iulii a. 2017  
<https://conventus-lex.github.io/la/>

Conventiculum Viterbiense - 31 m. Iulii - 5 m. Augusti a. 2017  
<https://europalatina.live/symposia/>

Feriæ Latinæ Ferigoletenses - 19-26 m. Iulii a. 2017  
marie-antoinette.avich@orange.fr

Linguæ Latinæ institutio æstiva - Romæ apud Academiam Vivarium Novum  
<http://vivariumnovum.net>

L.V.P.Ae seminarium Monasteriense - 7-13 m. Augusti a. 2017  
<http://www.lvpa.de/>

Scholæ æstivæ Montellenses, in Campania - 3-15 m. Iulii a. 2017  
[www.scholalatina.it](http://www.scholalatina.it)

Schola æstiva Posnaniensis, in Polonia - 17-30 m. Iulii a. 2017  
martinus.loch@gmail.com

Septimanæ Latinæ Europææ - Amœneburgi, 29 m. Iulii - 5 m. Augusti a. 2017  
Frisingæ, 20-26 m. Aug. a. 2017  
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ - In abbatia Ottiliensi, in Bavaria, 17-22 m. Iul. a. 2017  
In oppido Theulegio, in Saravia, 20-26 m. Aug. a. 2017  
[www.voxlatina.uni-saarland.de](http://www.voxlatina.uni-saarland.de)